Ostrowski Joa.

1895. XII. 30.

Poezya

5140

EPITHALAMION

IN NVPTIAS GENEROSI DOMINI SBIGNEI LANCKORONSKI de Brzezie, & in Włodzisław. &c.

Et

Nobiliss: bené moratæq; virginis CATHERINÆ Illustr. & Magnifici Dñi CHRISTOPHORI KOMOROWSKI de Komorow, Comitis Liptouiæ Arauiæq; Castellani Sadeceñ. Filiæ.

A IOAN. OSTROWSKI.

Cracouiæ, XX. Septemb.
Anno Dñi. M. D. XCviij.

IN STEMMATA
Sponsi & Sponsæ.




FLammeus ore Leo sitientes venit ad vndas,
Nimirum accensam vult releuare sitim.
O factum bené, progenies victura Leonis
Ista diu, triplicis fontis vt haurit aquas.

EPITHALAMION.

IAm Septēber erat, terræ qui munere letus,
Sueuit ab Arctóis vltra discedere portis,
Hiberno cupiens in tramite sistere solem,
Tunc congesta Ceres multis dat gaudia terris,
Et teneros errare iocos facit illa colonis.
Gaudet odoratus maturis fructibus hortus,
Quem molles Zephyri Autumno cultore benigna
Exercent aurâ, cui aurea poma quotannis
Delicias afflant, per gratos dant & odores.
Ecce Comes Araui clara de stirpe Zoardi,
Pace domi placidus, bello foris horridus armis,
Quem fœlix Sandec gaudet pro præside nacta,
Excellens virtute omni KOMOROVIVS Heros,
Et Genero natæq; nouos indicit honores,
Coniugij letos & præparat ipse triumphos,
Digne socer Genero qui claro stemmate prodit.
Digne Gener socero, virtute opibusq; potente.
Iamq; aderat præsens Heroum læcta iuuentus
Ad sacra coniugij, quæ fausto fædera nexu
Sanciat æternum verbo rogitante Sacerdos.
Ipse Pater Sponsæ medium KOMOROVIVS inter
Agmen conspicuus, læto sese omine præbet.
Adsunt & Comites patriæ duo lumina fratres.

Tu Generose Comes, diuino numine fœlix
NICOLEE, Aonidum cultor, quem viuida virtus
Offitio ornauit, fauſtè vt modereris habenas
Arcis in OSWIECIM, pacis pia vincula ſeruans.
Tu quoq; fraterno qui iunctus ſãguine Spõſo es
PRESLAE, clara patris tantùm duo pignora veſtri.
At quæ Muſa alios memoret, quos ordine longo
Agmen habet? Saluete pij, ſaluete beati,
O proceres: ſis Sponſa tuo pulcherima fœlix
Aduentu, ſis Sponſe tuis pulcherime letus.
Interea cuncti dum coniugialia currant,
Atq; parant thalamis patrio de more decorem,
Inſonuêre tubæ, perrupit ad ætera plauſus.
Iam prodi noue Sponſe, tibi, tibi ducitur vxor,
Ante alias virgo probitate Hęroidas: ipſæ
Cui Charites ſolitæ blandas agitare choreas,
Ipſaq; cui facie fulgens decederet Hebe.
Ex oculis pietas, è fronte relucet honeſtas,
Cuius & ingenuo caſtus pudor emicat ore.
Vox volat in triuiis, hac fœlix coniuge ſponſus:
Hac etiam fœlix bona coniuge ſponſa marito.
Illuſtris virgo, illuſtri de ſtemmate Sponſus.
Vtraq; clara domus, fœlicia tempora ſpondet.
Viſtulis hoc reſidens decliui in margine ripę
Audiit, atq; ſono reſonare ita compulit Echo.
Bella canant alij, quos ſæui dira Cupido

Exacuit Martis, ſed ego noua gaudia Sponſo
Atq; nouas thedas, & hunc gratabor honorē. (vates
SBIGNEE, Smyrnęus licet haud ſim carmine
Te celebrabo tamen, domus & prœconia texam.
Sed iuuat in primis generis perquirere fontem,
Vel riuos captare tuos, quod dicere pergo.
Hic vbi dat tardos deflexa Britania ſoles,
Initium ſtirps veſtra trahit clariſsima regno
Stemmatis antiquo ZADORÆ de nomine dicta.
Ex hac Antiſtes Wratiſlauę præfuit vrbi,
Qui templum ornauit muris, & diuite cultu.
Ex hac emicuêre etiam duo flumina belli, (tentes:
PRESLAVS, & PRZEDBOR Mauorte & pace po-
Deijcere aſsueti confertis viribus hoſtem,
Immanem ingluuiemq; armis arcere Getharum.
His Wlodziſlauum dedit vltro Caſimirus REX,
Cuius adhuc gaudent ſeri, ſed voce, nepotes.
Quid memorem reliquos veſtra de gente Dynaſtas,
Prælia miſcentes patriæ pietatis amore?
NICOLEI en celſo ſe attolit gloria cœlo,
Regia namq; ſuis decorauit ſceptra ferendo
Factis: cuî animi vigor, & lux inſita menti
Purior, hunc talem pepererunt laudis honorem.
Hic bona multa tulit patriæ cumulata ſaluti.
Sbigneus huic ſimili Marſchalci illuſtris honore
Floruit, ingenio nulli & pietate ſecundus.

Omitto proauos atauosq; retexere versu,
IOANNEM atq; illum notę virtutis ADAMVM,
Qui patriæ Scyticam defensis funere terris
Merserunt gentem, flamma ferroq; minacem,
Quam sitiens nostri collectam sanguinis Hęmus,
Semper & esuriens Rhodope Thanaisq; niuosus,
Caspiacæq; fames extruserat impia portę.
Sed tamen hæc aliis post me memoranda relinquo,
Os quibus Aonio Musæ lauêre liquore,
Hæroum vt dulci referentes carmine laudes,
Fortia facta virum possint æquare canendo.
Ad propiora vocor. quis Christophori acta paren
Qui Castellanus Malogolczo præfuit olim, (tis,
Et post Radomi molles tractauit habenas,
Militiæ atq; domi non iure Hæroibus æquet?
Hunc populi studia, ipsius Regisq; fauores
Sic comendabant, vt cunctis gratior esset:
Sendomirę hũc Musæ cecinêre, hunc omnis honesti
Mens dilexit amans, ornauit viuida virtus.
Huius stirpis ea est palmes, hic SBIGNEVS ille,
Magnanimus iuuenis, cui thedas sacra iugales
Fert hodierna dies, patriæ decus atq; columen.
Hic sibi consortem vitæ sociamq; laborum
Adiungit modo, quam preciosius æstimat auro,
Quam genus & formæ & vitæ commendat honestas.
Dicite Pierides, letum mihi pingite Sponsum,
Illius

Illius vt vestro florescat carmine nomen.
Vesper vt Oceano mergens sua lumina magno
Igneus apparet, faciemque ostendit honestam,
Agricola hunc fixus miratur, & incipit alta
Promere voce melos, sic demum in tecta recedit.
Sic iuuenis Sponsus generoso pectore ZBIGNEVS
Inter conuiuas animo gratante renidet,
Flos decus & patrię certissima gloria terræ.
Ex ipsa generis maiestas fronte relucet,
Et facies animum loquitur grauitatis amantem.
Talis erat quondam tenera lanugine vernans
Scipio, cum bellis terras quassaret Iberas.
At te quo memorem versu, qui frater eidem
PRESLAE, tam patriæ charus quàm Sbigneus ipse.
Sed iuuat & Sponsam nostris depingere metris,
Eximiam illustris venientem ab origine stirpis,
Quamq; coronat honos, generis splendorq; paterni.
Vt rosa flore suo pulchris decus adiicit hortis,
Inter odoratas latè diffusior herbas:
Sic animo formaq; sua CATHERINA decorem
Virginibus confert alijs: vt lilia calthas
Commendant croceas, Narcissus Amomum.
Fœlices animi fœlix cum coniunge coniunx.
Ipsa nouum vobis CRAci vrbs gratatur honorem,
Letitiâ thalamos ornans votisq; serenans.
Ergo sis fœlix istis Sponse inclyte votis.
Tecum

Tecum Neftereos coniunx fœliciter annos
Exigat, & dulci faciat te prole parentem.
Viuite fœlices iunctifsima corda per æuum.
Viftulis hæc recinens in apertas protulit auras,
Verba remittebat fonitu refonabilis Echo.
Excepi calamo, numeris Mufisq; dicaui.
O mihi grata meæ contingant otia linguæ:
Adfit & ingenio facundæ copia linguæ,
Nunquam cefsabo veftras contexere laudes,
His modò quæ cecini, vultum præbete ferenum.